

ACA, C., reg. 232, f. 80v-81r

14 November 1316, Zaragoza

1 August 1317, Lleida

Nos Jacme, etc. attendentes comisisse tibi Salema de Rege Sarraceno Osce subscripta officia per unum annum tamen a te regenda cum littera nostra tenoris qui sequitur:

Nos Jacme, Dei gratia, commitimus et comendamus tibi Saleme de Rege Sarraceno Osce officia çauaquenatus et scribanie aljame Sarracenorū Osce ita quod tu sis pro nobis et nomine nostro çauaquem et scriba ipsius aljame et exerceas ipsa officia bene et legaliter a Gallego usque ad Alcanadre per eandem uidelicet jurisdictionem per quam çauaquem et scribe aljame Sarracenorū Osce consueti su[nt] exercere et uti dictis officiis temporibus retroactis. Quam quidem comissionem seu comandam tibi facimus de predictis officiis tenendis et exercendis pro nobis ut predicatur ad unum annum continue sequente et compl[...] quidem annus quo ad comissionem incepit in X kalendas novembris proximum preteritis anni prefati [...] quod habeas et precipias inde ea jura que çauaquem et scribe ipsius aljame consueuerunt hactenus percipere et habere et sub tali cum condicionem facimus tibi comissionem predictam quod des nobis racione ipsorum officiorum pro anno predicto XXX morabetinos auri fini et tota ponderis de quibus soluas in mense januarie proximum instatis medietatem et alia medietatem in festo beati Johannis mensis junii proximis subsequentis. Volumus tam quod non presumas uti dictis officiis donec firmaueris sufficienter in posse baiuli nostri Osce te soluturum dictos XXX^a morabetinos in terminis predictis. Nos enim per presentem cartam mandamus uniuersis officialibus nostris et toti aljame Sarracenorū Osce et uniuersis Sarracenis habitantibus infra Gallego et Alcanadre quod te per dictum annum ut predicatur pro saualquem et scriba dicte aljame habeant et teneant et tibi respondeant per annum predictum de omnibus hiis de quibus çauaquem et scribe dicte aljame debent et consueti sunt respondere temporibus retroactis. Datum Caesaraugustiae XVIII^o kalendas decembris, anno domini M^o CCC^o XVI^o.

Et nunc per inclitam infantissam Blancham, filiam nostram deodatam in Monasterii de Sexena, a nobis fuerit postulatum ut dicta officia tibi dignaremur comittere ut ea regas et regere possis dum legaliter te habueris in eisdem. Idcirco, commitimus et comendamus tibi predicta officia tenenda et regenda per te sub modo et forma in dicta littera contentis prod[...] eis te habueris legaliter atque bene sit pro anno quolibet dum dicta officia tenueris per terminos in supra instrumenta littera comprehensos tenearis nobis soluere XXX^a morabetinos sint pro dicto anno, [et] ipsos exsoluere debuisti quod assecurens antequam hac concessionem nostram utaris in posse dicti baiuli nostri Osce. Mandantes uniuersis officialibus nostris a toti aljame Sarracenorū Osce et uniuersis Sarracenis habitantibus infra Gallego et Alcanadre quod te pro saualquem et [81r] scriba dicte aljame habeant et teneant quamdiu in ipsis officiis bene et legaliter te habueritis, et tibi respondeant de omnibus hiis de quibus saualquem et scribe dicte aljame debent et consueti sunt respondere temporibus retroactis. Datum Ilerde VIII^o kalendas augusti anno domini M^o CCC^o XVII^o

Fra. de Bastida, M. R.